







IN OPINIONEM POPVLAREM 24  
DE  
FIDE  
VIRTVTVM FONTE VNICO  
INQVIRIT

SIMVLQVE  
FAVTORES LITTERARVM ET ALVMNOS  
VT  
DECLAMATIONES

QVAE  
IN REGII REFORMATORVM GYMNASII ILLVSTRIS  
AVDITORIO MAIORI  
D. X. OCTOBR. AB HORA SECVNDA  
RECITABVNTVR  
AVDIRE VELINT  
PERHVMANITER ROGAT  
GVILIELMVS CRICHTON.



---

HALAE TRANS SALAM MDCCLXV.  
ABRE HENDELIANO.





**A**DMIRABLE vtique est, & probe incredibile, quod in doctrina morum tot saecula, quin etiam a prima humanae gentis aetate exulta, apud tot populos litterarum amore florentissimos in maximo honore habita, a viris ingenio & eruditione illustribus amplificata & aucta, diuina etiam gratia per euangelii caelestem lucem natiuae puritati integritatique restituta, hac omnium sanctissima simul & saluberrima disciplina, non solum illitteratorum vana multitudo aliorum praeceptiones caeco impetu secuta, verum ipsi etiam gentium omnium, quod arrogantissimum quidem nomen patientissime ferre solent, celebratissimi doctores inter se grauisime dissentiant, a vero haud raro aberrant, & mirum quantum allucinentur. Consule, si placet, antiquitatis monumenta, & infinitas illas Epicureorum, Stoicorum ceterorumque disceptationes, aut recentiorum, atque nostrorum lucubrationes librosque euolue, in admirationem te traducat necesse est silua ista & turba controuersiarum, quae se tibi, in ipsa hac omnis pacis & concordiae sede, & domicilio vltro offerent. Neminem fugiunt aeterna illa bella de bonorum malorumque finibus, iuris naturae principio, finibus, quibus hocce ius circumscribendum sit, de ipso officiorum discrimine rite constituendo, & de omnibus fere, quae de moribus generatim disputari solent. In eundem numerum referenda est quaestio, quae nostro quidem iudicio magni est momenti, & ad vitam agendam vim habere magnam videtur,

VTRVM





UTRUM OMNE FACTVM, QVOD EX FIDE NON PENDEAT, HAVD  
VACET CVLPA; de qua, prout per angustiam nostram & festina-  
tionem licebit, ita disputare constituimus, vt rationibus, quibus se  
homines ad cogitationem de fide virtutis veraeque pietatis fonte  
vnico deduci passi sunt, expensis, aperte ostendamus, quare nos  
hanc sententiam quam maxime fallere, atque a veritate & ratione  
abhorreere opinemur.

QVOD SI recte meminimus, falsam illam opinionem attulit  
religiosis hominibus, sibi parum, aliis contra quam fas est, con-  
fisis iniqua interpretatio verborum Pauli: a) — πᾶν δὲ ὃ ἐκ ἐκ  
πίστεως, ἀπαιετῆ ἐστὶν. Qui enim haec absque iusta meditatione,  
neglecto loco, quo dicta sunt; & vt se primo adpectu legenti ex-  
tra sermonis contextum offerunt, contemplantur, non possunt non  
in eam cogitationem incidere, sanctum virum Romanis fidem, tan-  
quam vnicam omnis virtutis normam commendasse, quaecunque  
vero a fide fuerint aliena, tanquam mala, & improba, & legi di-  
uinae aduersa abiecisse. Qui vero rem diligentius pensauerit,  
in his verbis nullam fidei, quam *saluificam* vocare amant, men-  
tionem iniecisse Paulum facile sibi persuadebit candidus quisque  
rerum aestimator b). Agit vir pius de vsu ciborum legitimo,  
omnia esse pura docet, sed his repugnante conscientia vel contra  
fidem, & religionem vti improbum esse, eum etiam, qui de cibi  
alicuius vsu dubius sit, nihiloque minus de eo sumat, reum esse  
peccati, huiusque poena teneri: QVIA NON EX FIDE. Per *fi-  
dem* igitur intelligit certam illam persuasionem siue *πληροφροσῆαν*,  
quae omnem dubitationem excludit, & rem aliquam legi consen-  
taneam esse, aut aduersam, luculenter comonstrat. Omnia pec-  
cata esse dicit, quae non sunt ex conscientiae consensu, homines  
etiam dubios, cum quid egerint, de quo, vtrum bonum rectum-  
que sit, nesciant, a lege diuina discedere c). Fidei opponit dubi-  
tationem; fidem habere idem est, ac religioni sibi non ducere.

A 2

Quin-

a) Rom. XIV. 23.

b) Faciunt nobiscum Castellio, Camero, Piscator, Grotius.





Quicquid igitur fit absque conscientiae approbatione, id peccatum est. Fidei nomen hoc loco aliam, quam persuasione significacionem habere non posse, quam clarissime elucet ex verbis proxime antecedentibus: *σύ πίσω ἔχεις κατά σεαυτὸν ἔχει ἐνώπιον τῶ Θεῷ. Μακάριος ὁ μὴ κρύβων ἑαυτὸν ἐν ᾧ δοκιμάζει.* Si enim hic ageret Apostolus de fide christiana non sibi modo contradixisset, verum etiam summo religionis auctori & magistro *d*).

TEMERE etiam causae suae praesidium petunt ex epistola ad Hebraeos, ubi egregius auctor *e*): *χαρὶς δὲ πίστεως ἀδύνατον ἐναρξήσται.* Vt enim taceamus, celeberrimos theologos, qui summa floruerunt purioris doctrinae fama, hunc locum de fide *salutifera* non esse interpretatos, inter quos est vir doctissimus, cuius nomen apud acutiores nostros homines perraro auditur, Buddeus adversus Poiretum disputans; in limine capitis definita est fides, qua maximas res antiqui heroes gesserunt: *ἔστι δὲ πίστις ἐλπίζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος ἔβλεπομένων.* Fides igitur sumitur pro persuasione de veritate omnium verborum DEI, & spe indubitata, fore vt DEVS promissa sua sanctissime seruet, licet multa sint intellectu difficiliora. Atque quis est, qui non videat, hominem posse certissimum esse, quod DEVS fit, & velit praemio suos cultores donare, licet non habeat, istam fidem, quam virtutum causam vnica esse *docent f*).

NON

*a*) Conf. Grotius de I. B. & P. L. II. c. 23.

*d*) Matth. X. 32. Rom. X, 10. 2 Tim. I, 8.

*e*) Hebr. XI, 6.

*f*) Nec abhorret haec vocis significatio, qua modo pro persuasione, modo pro spe & certa expectatione sumitur ab vfu sacro. Πίστες, πιστευειν, πίσος, vt reliquas significaciones in scriptura obuias, & in dubium haud vocatas fileamus, saepius de eo adhibentur, quod certum firmumque est, aut esse videtur. Conf. Rom. XIV. 2. Matth. XVIII, 23. Rom. III. 3. 2 Thess. III, 2. 1 Tim. I, 15. III, 1. IV, 9. 2 Tim. II, 11. Tit. I, 9. III, 8. Apoc. XXI, 5. 2 Cor. XIII, 5. 1 Tim. II, 7. Graecis istis vocibus respondent dictiones Hebraeorum: Pf.





NON EST igitur, quod S. Scripturam testentur, ex qua sententia horum hominum seuera & tristis nullo pacto probabitur. Verum aliam rationem ex ipsis philosophiae fontibus repetunt, cui quod opponi possit, non habere quemquam opinantur. Inualuit nempe ex aliquo tempore in nonnullis Germaniae scholis opinio, rem omnem haud profectam ex pietate in DEVM iuri naturae esse aduersam; quod si recto talo staret fabula, legitima esset conclusio, quicquid non sequatur pietatem christianam, siue quod idem est, fidem in IESVM, pugnare cum religione caelesti, sanctoque euangelio, quod DEI Filius, eiusque legati humanae genti praedicarunt. Haec vero doctrina nimio & intempestiuo sectae amore cum aliis similibus opinionibus in philosophiae castra transuecta est, ratione autem firma omnino destituitur. Temere enim sibi persuaserunt, posse hominem in omni vita sui esse simillimum, de summa animi morumque sanctitate nunquam remittere, ingenium omnemque naturam suam ad liberaliora quaeque melioraque ita erigere, ut non optimum modo sectetur, verum etiam rebus suis non sint, nec esse possint meliores. Recte quidem pietatem in DEVM principem virtutum, & quasi reginam ducemque constituerunt, male autem inde colligunt, improbum esse & religioni aduersum, quicquid ad tantam perfectionem non accesserit. Ut equidem carmina blandissima, grauia plenaque sunt, licet ab ingenio Homeri, a quo *ceu fonte perenni, vatum Pieris ora rigantur aquis*, Euripidisque atque Horatii multum absint, elegantia igitur sunt, licet alia sint elegantiora, sic etiam bonae erunt res hominum, si etiam meliores esse potuerint.

PRAETER has rationes, quas paucis attigisse sufficiat, seueritatem

A 3

Pl. XII, 2. XXXI, 24. Isai. XXVI, 2. Ierem. V, 3. Conf. etiam Heumannus ad Rom. XIV, 22. 23. & quos adfert magna fama & auctoritate theologos. Quid? quod in aliorum populorum linguis, in Romana, iisque quae nostro aeuo maxime florent, fidei & credendi saepe vis eadem est, quam cognitio, scientia, fiducia habere soleat.





tatem hanc adhibuisse videntur, vt de gentium fidei expertium fama detrahere, & peruerso more Christianorum honorem augere potuerint. Vt enim fieri solet, vt religionis causae fordidas artificijs consulant, ita etiam pietatem christianam sua iam natura longe splendidissimam, vt humano praeconio facile possit superfedere, laudibus suis cumulari, optime res suas gessisse putarunt, si gentes fidei expertes ab omni honestate excluderint, iisque vix reliquerint speciem humanitatis & umbram. Duri hi Catones, cum antiquo nouorum dogmatum architecto Augustino, gentium virtutes nil esse, nisi splendida vitia, audacter fidenterque contendunt, ideoque peccatorum numerum mire augent, & pietatem in iure naturae, siue doctrina morum philosophica, in sacro vero foro fidem, vnicam virtutis honestatisque omnis parentem & custodem constituunt.

vt denique multi errores, religiosi praesertim, ex nimia celebriorum doctorum veneratione, fideque humane enati sunt; sic etiam opinio ista ex eodem peruersarum sententiarum perenni fonte fluxit. Quodsi exquiratur; vsque ab stirpe auctoritas, non inualuisse videtur antequam controuersiae orirentur cum Pelagianis; postquam vero vir magna auctoritate Augustinus praeceperat: — *nulla sunt bona opera, nisi quae sequuntur praecedente fide* — *b*), huic sententiae etiam fauerent Hieronymus, maximum antiquitatis sacrae lumen, & Augustinianae doctrinae propugnator Prosper, ingens tantos duces secuta est theologorum turba, & ab his recedere impium esse duxit. Quotusquisque enim inuenitur, quem post Carthaginem vincere pudeat?

VERVM enimvero multae concurrunt rationes, quae nobis id confirmare videntur, omnem hanc de peccatis opinionem saniori doctrinae quam maxime repugnare.

RERVM natura non patitur, vt omnia opera fidei impulsu suscipiantur, cum innumerabilis sit eorum multitudo, quibus cum

fide

*b*) In Ps. LXVII. — Quod quidem cantico istu sacro quam maxime repugnat.



fide nulla est communitas. Huc referendae sunt res mediae, siue indifferentes, quae pro temporis, loci vsusque varietate bonae sunt & innocentes, aut propter abusum & imprudentiam malae, nonnunquam etiam fiunt pessimae. O inhumani humanarum rerum arbitri! Dicite tandem, qui possitis ex fide cibum somnumque capere, herba Nicotiana vii, ambulare, conuiuia agere, dies natales aliosque festos cum laeto amicorum choro celebrare, & in auctoribus a fide alienissimis Homeris, Herodotis, Ciceronibus, Liius legendis, & memoriae paene mandandis dies & aetatem consumere? Abiicite, quam leges vestrae & symbola tuentur, fidei definitionem, aut confitemini, vos absurda & abhorrentia defendere, dum omnia peccata esse dicitis, quae non fiant ex fide. Sanctius nobis est quaestionum moralium, quae ex ipsa religione repetuntur, nomen, quam vt ad ridicula illa, quae hic larga manu possent interferi, abeamus exempla, in quae pro eo, quo valet quisque ingenii acumine, facile incidet.

NEC hominum natura fert illam, quam docent tristes homines & pallidi, virtutem. Homo enim, qui in re qualibet non ad rei modo naturam, sed etiam obligationem ex redemptione oriundam, & catenam illam officiorum, per quae ad hoc summum virtutis humanae fastigium via panditur, animum & cogitationes omnes vellet semper reuocare, is profecto omnibus negotiis se subtrahere, omnem curam rerum terrestrium, in quorum medio versatur, abiicere deberet, & nescio qua animi, non dicam constantia, verum potius obstinatione a societate humana, rebus ciuilibus, curis domesticis, publicisque muneribus se auellere. Sic utique non emendaret naturam nostram, sed tolleretur religio, nos relegaret ex his terris, non vero prudentissimum rerum vsum doceret. Hem! Virtus erit peccatum! Ipsa pietas, quam sub philosophicae & naturalis inuidioso nomine mire lacerant, quae tamen, nisi omnino caeci sumus, omnis christianae pietatis & fidei principium est, haec sanctissima virtus erit etiam peccatum! Num potest vnquam accidere, vt aliquid cogitetur, quod a ratione longius  
sit





fit remotum, ab eaque magis abhorreat? Servare iustitiam, humanitatem habere, temperanter agere summa laus est, quae vero minuitur, & in dedecus abit, ubi ex iudicium istorum morosa sententia ad fidei normam exigitur. Iustitiam, veri rectique amorem omnem peccata esse affirmant, quia non ex fide. Virtus igitur simul est, & non est virtus; honestatis studium maximo cedit animis humanis ornamento, simul vero etiam turpissimum est, & cum omni dedecore coniunctum. Quid? quod DEVM timere, quod est caeli tellurisq; conditor, rex hominum, gentiumque omnium moderator, eum etiam tanquam optimum patrem, qui nos liberos suos singulis diebus complurimis beneficiis ornat, vero amore amplecti, quae quidem officia gravissimis verbis diuina oracula commendant, sine peccato homo non poterit, cum timor iste amorque saepe rationis ope vsuque legitimo, rerumque, quae fiunt, contemplatione assidua, in animum descendere soleant. Longe alia praecipit Paulus *i*): *quae vera sunt, inquit, quae gratia, quae iusta, quae casta, quae amabilia, quae fausta, si qua virtus, & si qua laus est, haec cogitate* -

si itaque pietas christiana longe splendidissimum, ad quod in praesenti vita eniti licet, virtutis fastigium; sint eius legi sub conditionibus aequis, temporibus & naturae cuiusque consentaneis, subiecti omnes homines, ex eo minime efficitur, peccatum esse, quicquid non fuerit ex fide. Cur tu vero, vitiorum acerrime vindex, qui me vnum e multis minacissimo vultu terres, & nescio quos ignes, quasque furiarum crepas terribiles taedas, non summam etiam humanitatem exerces? Videsne, te ex tua, quam defendis, sententia peccare, dum de peccato mecum disputas?

si omnes res, quarum causa fides non est, aut esse non potest, cum lege diuina pugnant, omnis vita, cuius nulla pars fides est, pietate etiam, virtuteque omni vacua sit necessè est. Fuit ergo olim prima aetas, cum homines recens conditi fide ista christiana, de qua omnis cum aduersariis lis est, vsi certe non sunt,

fuit

*i*) Philip. IV, 8.





fuit miserrima, & peccatorum generi omni nunquam non obnoxia, licet sacrae litterae disertis verbis contrarium doceant; erit olim tristis piorum fors, cum Paulo teste fides & spes deserint, & integrae mentes scelerisque purae a fide transferint ad diuinae maiestatis visionem.

INTVERE si placet sanctissimam summi doctoris vitam, cui salutem tuam, & praestantissimum de vita optime instituenda consilium re debere recte affirmas, & qui possit stare sententia tua, apud te perpende. Num hic omnia ex fide egit? Quam temere in temet legem sancies iniquam, haec si te probaturum esse promiseris? Decet te imitari diuinum doctorem, qui summum reliquit omnis virtutis exemplum, ad quod omnes mores tui animique sensus sunt conformandi. Ille vero DEO optime placuit; & tu etiam placebis, licet fides non vnica fuerit vitae norma. Nostrum est, omni contentione in id incumbere, vt quoquo die similiores fiamus DEO, & virtutes eius in operibus conspicuas exprimamus; num nos hoc in opere fides sola iuuabit? Aut num DEVS ex fide ista, de qua loqueris, vnquam egit? Tandem, quod iam supra attingisse recordamur, excutite vosmet ipsos, quotquot ex male intellectis scripturae locis, & placitis doctorum temere assumtis fidem rerum omnium normam vnicam constituitis, vtrum in iudicio de aliorum vita, & inhumana ista gentium omnium a fide auersarum damnatione fidem diuinam & eam quidem, quam vnice saluificam vocatis, an humanam sequamini; illud vero si affirmare non audeatis, sole clarius est, vos ex vestra sententia peccare, quoties gentes omnes, quarum multae sine sua culpa a fide alienae sunt, in sedem ac regionem sceleratorum detruditis.

QVAM iniqua tandem opinio sit, quam impugnamus, testis sit omnis antiquitatis historia. Num igitur peccauit Diogenes, cum praeclarum teneret in animum imperium, multis — o inuisam veritatem! — multis, inquam, qui hunc Stoicum superba fronte despiciunt, inauditum, vel certe inusitatum? *Cui, inquit Seneca, de ira cum maxime differenti adolescens protervus inspuit, tulit hoc*

B

ille





*ille leniter ac sapienter. Non quidem, inquit, irascor: sed dubito tamen, an irasci oporteat k).* Num peccauit Xenocrates, dum fuit acerrimus flagitiorum vindex & oppressor, vt etiam adsp̄ctum eius fugerent improbi; aut cum Polemonem ad sanio rem mentem reuocaret; aut hic Polemon, qui imprans̄i magistri voce correptus ex collo furtim coronas carpsisse dicitur? Num peccatum erat Arcesilai liberalitas, qui, vt Seneca quidem rem narrat l), amico pauperi, & paupertatem suam dissimulanti, aegro autem, & ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumtum ad necessarios vsus, cum clam succurrendum iudicasset, puluino eius ignorantis sacculum subiecit, vt homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inueniret potius, quam acciperet? Aut abstinentia Aristidis, qua adeo excelluit, vt iustus sit appellatus? De quo Iustinus: *utinam, ait, reliquis mortalibus similis moderatio, & abstinentia alieni foret!* Num peccatum fuit Cimonis beneficentia, cuius res familiaris nulli defuit? Aut quis dicet, Alcibiadem peccasse, dum parsimonia victus atque cultus omnes vicit Lacedaemonios? Tu diuitiarum contemptum, quem monstrauit Phocion carpes, & tanquam flagitium contemnes, cum de nostrorum hominum sacra auri fame acerbe soleas conqueri? Ille vero pauper fuit, cum ditissimus esse posset. Num peccarunt gentes ius hospitii sancte seruando; aut num hodie etiam peccant populi Indici, qui aduenis & peregrinantibus diuersoria parant, in quibus non, vt apud nos plerumque fit, impenso pretio omnia reddunt, sed vt hospites gratis & benigne accipiuntur? Exercent igitur hospitalitatem, quam in more vltimae, profanae etiam antiquitatis fuisse, ex Homero constat, virtutem a Theophrasto, Cicero, & quod omnes omnium laudes complectitur, a sancto Paulo laudatam, laudandamque olim a Redemptore nostro, cuius apud nos vero nomen vix ter in anno auditur. Num egit aliquid, quod cum fide pugnat, DEOque placere non possit, Epaminondas, qui non solum patienter tulit ciuium iniurias, sed etiam cum ab eo opem peterent, nullam adhibuit memoriam contumeliae? Quot mihi dabis

k) De Ira Lib. III. cap. 38.

l) De Benef. Lib. II. c. 10.





δabīs fidei alacres defensores, qui idem teneant in animum imperium, & apud inimicos beneficia ponant? Idem heros adeo fuit diligens veritatis, vt ne ioco quidem mentiretur; quod si hoc peccauit, mendacium virtus sit necesse est. C. Fabricii magnanimitas si fuit legi diuinæ aduersa, ego quidem nescio, quid eo tempore agere debuisset, quod potuisset placere DEO. Rem tibi Cicero narret. *Cum rex, inquit, Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset, cumque de imperio certamen esset cum rege generoso, ac potente; perfuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, se praemium ei proposuisset, se, vt clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum; idque factum eius a senatu laudatum est.* Quanta fuit Reguli religio, qui ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere? Rediit Carthaginem, neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. *Atqui sciebat, inquit Horatius, quae sibi barbarus Tortor pararet: non aliter tamen Dimouit obstantes propinquos, Et populum reditus morantem, Quam si clientum longa negotia Diuidicata lite relinqueret, Tendens Venafanos in agros, Aut Lacedaemonium Tarentum.* Peccasset igitur, vt fert aduersariorum opinio, Socrates etiam, quem ob sententiam de vnitæ DEI mortem cepisse dicunt vel ipsi religionis antiqui doctores Iustinus, Eusebius, Tertullianus & Lactantius. Philosophi huius de animorum immortalitate disputatio, Aeneae in patrem pietas, Ciceronis de officiis praeclarae disquisitiones, & adhortationes filio datae, horum hominum omnium virtutes omnes peccata erunt. Omnes igitur, licet tranquillae vitae semitam per virtutem vnicam patere existimarint, & quotquot fuerunt antiquae aetatis lumina suam rationem omni studio secuta, per totam vitam nil nisi peccata patrasse, & sic necessario omnes, quotquot vnquam vixerunt, impiorum supplicia apud inferos perferre putabant, & id ideo, quod non crediderunt ea, quae cognita nunquam habuerunt. Sic miserima est gentium fors, quicquid enim egerint, siue rationem & conscientiam sequantur, siue non sequantur, vtroque peccant,





bunt, licet alias in rebus voluntariis nil sit improbum, nisi cuius mens sit conscia m). Lubentissime igitur subscribimus sententiae Lactantii, qui: *non sum equidem, inquit, tam iniquus, ut eos putem diuinare debuisse, ut veritatem per se ipsos inuenirent, (quod fieri ego non posse confiteor) sed hoc ab eis exigo, quod ratione ipsa praestare potuerunt.*

DICUNT quidem, gentiles infestus fuisse verae religioni, idolorum cultores, laudasse Iouem, Herculem coluisse, sacrificasse Aesculapio — ostendant velim, haec omnia omnes fecisse repugnantem conscientia. Si vero etiam hac in re peccassent, id tamen nos a sententia nostra non moueret. Non enim diximus, idolorum cultores nunquam peccasse, verum nonnunquam non peccasse asseruimus. Non agitur hoc, an gentes peccare, verum an possint habere virtutem; nec vtrum vita earum omnis placeat, sed an omnis displiceat DEO.

INTERPONUNT auctoritatem diuinam; sine fide non esse salutem, gentes omnes fuisse olim DEVM suis incedere viis; putant etiam, potuisse se gentes ex sua ignorantia expedire. Quod si vero etiam euinceretur, gentes aeternam illam piorum sedem haud consequi, inde minime sequeretur, ne vnicam quidem earum actionem placuisse DEO. Scelestinus homo nonnunquam aliquid prohi agit; bonum autem omne DEO placet. Verumenimvero male scripturae loca in vsus suos conuertunt. Fides salutis conditio ponitur iis, quibus euangelium praedicatur. — Πᾶς οὖν ἐπιμαρτύρομαι εἰς ὃν ἔτι πιστεύσαν; Πᾶς δὲ πιστεύσουσιν ἔτι ἐν ἡμετέροις; Πᾶς δὲ ἀπέσταν χωρὶς κηρύσσοντος; n) Damnabitur ἄπιστος qui credere noluit, minime gentium vero, qui non potuit, & lubentissime, si potuisset, esset amplexus fidem. Non enim fallit conclusio: si fidei, non ex sola persuasione, verum ex animi quoque sinceritate profectae spes data est salutis o); ἀπίστα, quae damnabitur olim, non est ignorantia, cui abiiciendae homines impares fuerunt, sed fidei & veritatis diuinæ contemptio. Certe, inquit Philologorum nostro-

m) Iac. IV, 17.

n) Rom. X, 14.

o) Rom. X, 10.





nostrorum ornamentum, Michaelis in Theologiae compendio, *ἀπιστεῖν non est ignorare aliquid, sed auditis fidem negare; nec omnino ad illos referri potest, qui nunquam auditis fidem nec habent, nec abrogant.* Si fides etiam eo, quo volunt, sensu, conditio esset salutis, nulla salus infantibus, qui credere nequeunt, nisi fidem fingas a Scriptura, ratione, experientia alienam. Gentilium vero infantes beatæ immortalitatis compotes fieri haud negant; viris igitur obesse nil potest, nisi vita, in qua omne discrimen positum est.

AD EA, quæ ex Apostolorum verbis p) de gentilium derelictione afferunt, breuiter respondemus, hæc sumi non posse, nisi quatenus gentes opponuntur Iudæis, quibus peculiarem legem promissionesque dederat DEVS. DEVM etiam gentes non omnino neglexisse, patet ex verbis proxime sequentibus, & oratione Pauli Athenis habita, argumentis etiam aliis non ita paucis. Nobis vel vnum Melchisedeci exemplum adduxisse sufficiat, quem nec Semum, nec ex huius viri familia fuisse probarunt viri docti; iis vero, qui filium DEI carne humana indutum fuisse autumant, obstant verba Pauli: — — ἀφανισθησόμενος τῷ ὄψι τοῦ Θεοῦ — — q).

UTRUM tandem rei alicuius ignorantiam possit homo depone-  
nere, ardua quaestio est, quam resolucere qui vult, is locum tempus-  
que, naturæ dotes, educationem resque innumeras considerare  
debet. Qui potest etiam fieri, vt nobis notitiam comparemus rei  
historicæ, de qua nunquam audiuius? Non tamen negabunt,  
nec ad omnes homines, nemine excepto euangelicam prædicationem  
peruasisse. Si ceteroquin auctoritate aliquid efficeretur, ha-  
bemus magna fama viros, qui stant a nostris partibus, Iustinum, O-  
rigenem, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Lactantium,  
Chryostomum, & post restituta sacra Zwinglium, Gualterum, Mo-  
sen Amyraldum, Stephanum Curcellæum, Petrum Chauinum,  
aliosque, Campanellæ vero, Vayerii, Cherburii, Hobbessii, & his  
similium, Pontificiorum etiam, Iacobi Andradii, Ambrosii Catharini,  
Maldonati, Pereyrae, aliorumque sententias lubenter negligimus.

B 3

Nec

p) Act. XIV, 16.

q) Hebr. VII, 3.





Nec abhorrent ipsi Iudaei, vt constat ex libro Lancellor Addison r) & Iehudae Hachafid libro piorum s) & multorum adhuc viuientium Iudaeorum testimonio.

NISI omnia nos fallunt, ex ipsis etiam S. Litteris pietatis seueriores aestimatores confutare licebit. En verba Pauli t): Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, Φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανερώσε· Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀίδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θεϊότης· εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολόγητους — — Qui quaeſo nequeunt excusationem habere, si manifestatio illa non sufficit ad virtutem DEO gratam? Paulus quidem aperte docet, eos potuisse secundum naturalem cognitionem DEVM colere atque celebrare. Idem: — ὅταν γὰρ εἶθ. η τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τῶ νόμου ποιῆ — u) Faciunt igitur, quae sunt legis, quae obedientia DEO certe non displicet. Idem Apostolus v): τοὺς μὲν ἐν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδῶν ὁ Θεός, τα νῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχῶς μετανεῖν. — Ὑπεριδῶν, non despexit, sed vt bene verterunt Beza, Vatablus, Clarius, *dissimulauit*, patienter tulit, patris instar, qui non secundum omnem seueritatem cum filiis agit; quod etiam pater ex eo, quod additur, *nunc omnibus ubique hominibus denunciat, vt ad frugem redeant w)*. Euentissimo denique argumento, quod DEO non displiceat pietas naturalis, Cornelius est, ad quem

teste

r) Edit. Londini MDCLXXVI. sub rubro: *The present state of the Jews in Barbary.*

s) Docet vero, pios homines, qui sunt a fide Iudaeorum alieni, si seruent septem praecepta Noachi, & Iudaeis beneficiant, venturos esse in  $\aleph \beth \gamma$   $\delta \epsilon \zeta \eta$ .

t) Rom. I, 19. 20.

u) Rom. II, 14.

v) Actor. XVII, 30.

w) Ὑπεριδῶν idem est, quod παρορῶν, παρορῶν. Syr. XXVIII, 7. καὶ παρίδης ἀγνοίαν. XXX, 11. Καὶ μὴ παρίδης τὰς αὐτὴ ἀγνοίας. Sap. XI, 23. — καὶ παρορῶν ἀμερτήματα. Chrysolomus cum Oecumenio ὑπεριδῶν ita explicat: ἐκ ἀπαιτεῖ λόγον ὑμῶν, non exigit a vobis rationem.



reſte Luca x) dixit legatus DEI: *Tuae preces ac benigna facta ad  
 DEVM aſcenderunt, eique in memoria inſederunt.* Et neſcimus  
 profeſto, quid clarius eſſe poſſit dicto Petri y): *Reiſſa comperio,  
 non habere perſonarum rationem Deum: quin apud omnes natio-  
 nes, qui cum metuit, & iuſtitiam exercet, is ei acceptus eſt.* Sci-  
 mus equidem, homines opinionum antiquarum tenaciſſimos, &  
 elegantiarum amantes, quae in ſcholis argutiſſime praecipiuntur,  
 res ſuas adiuturos ſolere Cornelio *fidem implicitam* vindicare; cui  
 tamen verbo quae notio ſubiicienda ſit, nos quidem neſcimus.  
 Quod ſi per iſtam fidem propenſionem, & quaſi procliuſitatem ad  
 credendum intelligere velint, Cornelium ſcilicet ea fuiſſe animi  
 dexteritate, vt ad veritatem, diuinam inprimis, vbicunq; ei tra-  
 deretur, aſſumendam paratiſſimus fuiſſet; fides iſta plane non  
 abhorret a pietate naturali, & non eſt niſi virtutis communis ge-  
 nus aliquod excellentius.

O QUAM immemor es rerum tuarum, moriture homo!  
 Quodnam iudicium vt de te ferrent alii velles, ſi eſſes in vltimis  
 Americae aut Lybiae oris natus? Non iudex conſtitutus es popu-  
 lorum; data tibi eſt euangelii doctrina, vt tibi conſulas, tuiſque,  
 non vt ingentes populos inuido animo a ſalute excludas. Exſpe-  
 cta diem, quo cuique ſua tribuetur laus, tum non tuum, DEI iu-  
 dicium valebit. — *Qui damnat fratrem ſuum, legi detrabit, &  
 damnat legem: quod ſi damnas legem, non es executor legis, ſed  
 iudex. Vnus eſt legislator, qui poteſt ſeruare & perdere: tu quis  
 es, qui iudicis alium z)?* Vtinam multi imitarentur modeſtiam  
 Cruſii, celebriſ Lipſienſis Theologi, qui nuper in oratione ſacra ty-  
 pis excuſa, *de eo, quod caput religionis eſt,* (vom weſentlichen in  
 der Religion) publice faſſus eſt, ſe nolle de ſalute populorum ſeu-  
 ri iudicis inſtar ſententiam ferre, licet homines, qui veram religio-  
 nem ſciunt, aut ſcire poſſunt, eam tamen contemnunt, ſpem ſalu-  
 tis inire non poſſint.

QUAMVIS igitur ſit etiam gentilium de virtute doctrina  
 manca,

x) Act. X. 4.

y) Act. X. 34. 35.

z) Iac. IV. 11. 12.





uanca, nonnunquam etiam a veritate aliena, hoc enim solent aduersarii haud raro vrgere; inde tamen temere colligunt, vitam eorum omnino scelestam, & omni fuisse probitate vacuam. Qui enim imperfectissimam ethicam, suo iudicio optimam sequitur, melius potest officia sua tueri, quam ceteri, qui perfectissimam norunt. Sume baiulos nostros, aratores, & ex infimo hominum genere alios, qui vix elementa ethices, & haec quidem confuse & incertius tenent, videbis, hos officia sua diligentius seruare, quam multos doctores, qui de omni officiorum ratione politas copiosasque orationes habent. Gentiles, qui operam dant, vt iucunda vtantur actae vitae recordatione, longe praestant Christianis, qui optima norunt, pessima vero secuti scelerum conscientia opprimuntur. Non is, qui vim virtutis & diuinam praestantiam optime nouit; verum qui conscientiae suae congruenter viuit, viri honesti & pii nomine dignus erit. — οὐ δὲ ἀνεροῦνται τῶ νόμῳ δικαιοὶ παρὰ τῶ Θεῷ· ἀλλ' οἱ ποιῶνται τῶ νόμῳ δικαιοῦνθ' ἑαυτοῦ.

Die decimo Octobris ab hora secunda conscensa cathedra dicent iuuenes bonae indolis & spei.

FRANCISCVS WILHELMVS MICHEL, HALENSIS, *Porus-  
sico regno florem sempiternum* precabitur.

FRIDERICVS AVGVSTVS HEINZE, HALENSIS, *utrum  
omni gaudio careat vita praesens*, disquiret.

IOANNES HENRICVS FRIDERICVS VLRICH, HALENSIS, *industriam* litterarum studiosis commendabit.

PHILIPPVS ANDREAS FITZOW, ANHALTINVS, *ex venarum  
pulsu humani corporis machinam sapientissimi conditoris  
opus esse* euincet.

IOANNES WILHELMVS ALBERTVS THIMME, ANHALTINVS, *Ciceronis laudes* dicet.

IOANNES HENRICVS FRAESDORF, MAGDEBURGICVS, *quam fugaces sint anni*, perpendet.

Cui exercitio vt interesse velint Venerandi Gymnasii Antistites, litterarumque ac scholarum fautores omnes, perhumaniter rogantur.





153516


X 2310927

R









IN OPINIONEM POPVLAREM  
DE  
FIDE  
VIRTVTVM FONTE VNICO  
INQVIRIT

SIMVLQVE  
FAVTORES LITTERARVM ET ALVMNOS  
VT  
DECLAMATIONES

QVAE  
IN REGII REFORMATORVM GYMNASII ILLVSTRIS  
AVDITORIO MAIORI  
D. X. OCTOBR. AB HORA SECVNDA

RECITABVNTVR

AVDIRE VELINT

PERHVMANITER ROGAT

GVILIELMVS CRICHTON.



HALAE TRANS SALAM MDCCLXV.  
AERE HENDELIANO.